Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Theodo IV, defuncto fratre, ~~ut~~ totius Bojariæ Dominus inter se et tres filios suos jam adultos, ~~regnum~~ Theodobertum II, Theodobaldum, et Grimoaldum, ditione divisit. ~~ipse~~ Ipso Ratisbonæ remanente, Theodobertus Bauzani (vel Majis) in Alpibus, Theodobaldus forsan Oetingæ, Grimoaldus Frisingæ sedes statuerunt. ~~Gundrudæ tutelam habuit Theodobertus, donec circa annum 700 Luitprando jungeretur.~~ ~~Grim~~ Theodoberti II ~~defuncti~~ filium Hugbertum in curam suscepit Grimoaldus, ejusque hæreditatem ad Athesim sitam occupavit, nullo respectu habito Guntrudæ. His positis omnia supra allata testimonia facile videntur ~~inter se constare~~ concordare. Vid. Tab. Cæterum Theodonis IV et Theodoberti parentes ~~84)~~ Grimoldum ~~eorum parentem~~ ob senium a regiminis cura abstinuisse, inde suspicor; quia Arnulfus Vedburgensis nullam ejus mentionem facit. ~~Vel fortasse hic auctor~~ Cætera vide Addit. 83.

(filiam Guntrudam Luitprandus Longobardorum Rex in matrimonium,

85) Theodonem, quem nos IV dicimus, Ratisbonæ sedem tenuisse, nemo est, qui neget. Ast ubi Theodobertus; hoc opus, hic labor. Aventini sententiam audivimus Addit. 83; Theodobertum Theodonis fratrem Vallem Venusticam administrasse. Burglehnerus T. I, l. 13, c. 3, de Theodoberto, qui circa annum 700 obiit, scribit: Diser hat zu Mayss, dazumalen ain Statt, an Jez aber ain Dorff, zu negst bey Meran sein fürstliche residenz vnd Hofhaltung gehabt. Jac. Andr. Brandisius vir doctissimus et Capitaneus Tirolensis in Historia Capitaneorum Tirol. p. I, c. 3. Umb das Jahr 652 soll Herzog Dietbrecht zu Bozen unnd in der Statt Mais, auch auf dem Schloss Tyrol Sein hofleger gehabt haben. Hic corrigendum puto numerum anni in 692: secus alius Theodobertus nostro antiquior esset admittendus; qualem etiam admittit Arentinus l. 3, c. 7. Reschius Annal. Sab. Sec. VIII Annot. 6. Theodobertus Dux seu potius Tetrarcha erat Bojariæ, seu Bauzani seu Frisingæ residens. Paulus Diaconus l. 5, c. 36: Cum Pertarit et Cunibert, pater et filius, Reges Longobardorum, in magna pace degerent, et ex omni parte in circuitu tranquillitatem haberent: surrexit contra eos filius iniquitatis, Alahis nomine, per quem in regno Langobardorum perturbata pace maximæ populorum factæ sunt strages. Hic dum Dux esset in Tridentina civitate, cum Comite Bajoariorum, quem illi Gravionem dicunt, qui Bauzanum et reliqua castella regebat, conflixit, eumque mirifice superavit. Quade causa elatus, etiam contra Regem suum Pertarit ~~manum le~~

(Cancellarius aulicus Tirolensis